



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Idea Theologiae Moralis**

**Petrus <a Sancto Josepho>**

**Coloniae, 1648**

V. De juramento, & adjuratione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38935**

Qua tamen in re non est nimis scrupulosè agendum, quia dummodo commutatio bona fide fiat in id, quod spectatis circumstantiis æquè bonum apparet, id sufficiet ut commutatio censeatur valida, & licita.

*Dico 5.* Etsi per se loquendo, magis expediat vota commutare in similia, verbi causa, votum personale, in onus personale; votum reale, in onus reale; & votum mixtum, in onus mixtum: licet tamen non servare similitudinem illam, adeoque votum personale commutare in onus reale, sicut & votum reale, in onus personale, &c. Quia sic servatur æqualitas, seu similitudo moralis, quod in re morali sufficit. Ceterum votum personale dicitur, quod est de aliqua actione personali voventis, ut jejunium, oratio; votum reale est, quo promittitur aliquid distinctum ab actione voventis, ut pecunia: at verò votum mixtum dicitur, quod includit actionem hominis, & reales sumptus, ut votum peregrinandi.

## CAPUT V.

*De Juramento, & adjuratione.*

**R**ESOLUTIO I. *Inter externos Religionis actus, numeratur etiam juramentum, quod ex se licitum est & honestum, modo quadam conditiones observentur.* ]  
DE hoc argumento tractat S. Thomas 2. 2. *quest. 89.* per decem articulos, quorum 1. Docet, jurare nihil aliud esse quàm, restem Deum invocare. Quod probat, quia ex Apostolo *Hebraeorum 6.* Juramentum ad confirmationem ordinatur, sed particularia facta hominum non possunt per rationem necessariam confirmari, & idè quæ de his dicuntur, solent confirmari per testes. Verùm quia humanum testimonium ad hoc non sufficit, tum propter defectum veritatis humanæ, tum propter defectum cognitionis, hinc necessarium fuit recurrere ad testimonium Dei, qui nec mēiri potest, neque aliquid ignorare

ignorare

ignorare Assumere autem Deum in testem dicitur jurare, quia quasi pro jure introductum est, ut quod sub invocatione divini testimonii dicitur, pro vero habeatur.

Statim verò tradit divisionem juramenti, ut nimirum dicatur juramentum assertorium, quando divinum testimonium assumitur, ad asserendum presentia, vel præterita: promissorium verò, quando inducitur divinum testimonium, ad confirmandum aliquid futurum. In responsione verò ad 1. Monet duplicem esse jurandi modum unum per simplicem Dei contestationem, ut cum aliquis dicit, est mihi Deus testis, vel, coram Deo loquor, vel per Deum: alium per execrationem dum scilicet aliquis se, vel aliquid ad se pertinens ad pœnam obligat, nisi sit verum quod dicitur.

*Articulo 2. Docet 1. Juramentum secundum se esse licitum & honestum, quod patet, tum ex illius origine, quia est introductum ex fide; qua homines credunt, Deum habere infallibilem veritatem, & universalem omnium cognitionem & provisionem: tum ex fine, quia juramentum inducitur ad justificandum homines, & ad finiendum controversias. Docet 2. Juramentum per accidens esse malum & illicitum, quando scilicet sine necessitate & cautela debita adhibetur; quia est quædam irreverentia erga Deum, quod ex levi causa in testem inducatur, quæ etiam in re est periculum perjurii.*

In responsione autem ad 1. *Notat illud Matth. 5. Non jurare omnino, intelligi de juramento leviter & sine causa facto. Et in responsione ad 3. Monet, eum qui jurat, non tentare Deum, quia non implorat divinum auxilium absque necessitate: & præterea non exponere se alicui periculo, si Deus testimonium adhibere noluerit in presenti; adhibebit enim pro certo illud testimonium in futuro, quod proinde nulli juranti deficiet, vel pro eo, vel contra eum.*

*Artic.*

*Articulo 3.* Docet, in juramento tres condiciones debere reperiri, nempe iudicium, veritatem, & iustitiam. Quod *probat*, quia juramentum non est bonum, nisi ei qui utitur juramento: ad bonum autem usum juramenti, duo requiruntur. 1. Ut quis non leviter, sed ex causa gravi & necessaria juret, adeoque ex iudicio discretionis. 2. Ut quod juramento confirmatur, sit verum, ad quod requiritur veritas: & licitum, ad quod necessaria est iustitia. Unde juramentum incautum caret iudicio, juramentum mendax, veritate, & juramentum iniquum seu illicitum, iustitia. Monet autem in responsione ad 3. Prædictas condiciones magis requiri ad juramentum, quam ad alios actus humanos: quia in juramento magnum est periculum, tum propter magnitudinem Dei, cuius testimonium invocatur: tum etiam propter labilitatem linguæ humanæ, cuius verba juramento confirmantur.

*Nota 1. ex art. 14.* Jurare esse actum religionis seu latriæ, quia ille qui jurat, invocat testimonium divinum ad confirmandum ea quæ dicit. Nihil autem confirmatur, nisi per aliquid quod certius est & potius, & ideo in hoc ipso quod homo per Deum jurat, profitetur Deum potiolem, utpote cuius veritas est indefectibilis, & cognitio universalis: & sic Deo aliquo modo reverentiam exhibet, quod pertinet ad religionum sive latriam.

*Nota 2. ex art. 5.* Juramentum non esse de rebus per se appetendis, sed de necessariis: quia id quod non quaritur, nisi ad subveniendum infirmitati, vel defectui, non numeratur inter ea quæ sunt per se appetenda, sed inter ea quæ sunt necessaria: sicut patet de medicina quæ quaritur ad subveniendum infirmitati. Juramentum autem quaritur ad subveniendum alicui defectui, quo scilicet unus homo alteri discredat. Et ideo juramentum non est de per se appetendis, sed de necessariis, quibus indebitè utitur, quisquis iis utitur ultra terminos necessitatis. Quare in resp. ad 3. ait,

ait,

ait, quòd sicut medicina quanto est efficacior, tanto majus nocumentum inducit, si non debite sumatur: ita juramentum quanto magis est venerandum, tanto magis est periculosum, nisi debite inducatur.

*Nota 3. ex artic. 6.* Esse duplicem modum jurandi per creaturas, Prior modus est per simplicem confessionem, quatenus assumuntur ad juramentum aliqua creatura, non secundum se, sed in quantum in eis veritas divina manifestatur. Sicut juramus per Evangelium, id est, per Deum, cujus veritas in Evangelio manifestatur; & per Sanctos, qui hanc veritatem crediderunt, & observaverunt. Posterior modus est per execrationem, quando scilicet in juramento inducitur creatura aliqua, in qua divinum judicium exerceatur. Et sic solet homo jurare per caput suum, aut per filium suum. Monet autem in respons. ad 1. Non licere jurare per creaturas, ita ut eis exhibeatur reverentia divina adeoque Clericum per creaturam jurantem depuni; quia tale juramentum ad blasphemiam infidelitatis pertinet.

**RESOLUTIO II.** *Juramentum tam assertorium, quàm promissorium habet vim obligandi.* PROBATUR, *ex artic. 7.* sicut enim Juramentum assertorium, quod est de praterito, vel de presenti, debet habere veritatem; ita & juramentum de his, quæ sunt faciendæ à nobis in futurum. Et ideo utrumque habet quandam obligationem, diversimodè tamen; nam in priori obligatio est, non respectu rei quæ jam fuit, vel est, sed respectu ipsius actus jurandi, ut scilicet juret id, quod jam verum est, vel fuit: sed in juramento quod præstatum de his, quæ sunt faciendæ à nobis, obligatio cadit è contra supra rem, quam aliquis juramento firmavit: tenetur enim aliquis facere si potest ut verum sit quod juravit, alioquin deest veritas juramento. Quod intellige, modo licitè res fieri possit, nam si est per se mala, aut boni impeditiva, tunc jura-

juramento deest iustitia, adeoque servandum non est.

*Quæres*, qua ratione iuramentum obliget. *Respondeo 1.* Iuramentum assertorium obligare sub mortali ad dicendum verum in quacunque materia; quia non potest Deus sine gravi injuria, in testem falsificari adduci: unde per se loquendo, reus est perjurii mortalis, qui jurat se fecisse, quod non fecit; aut habere propositum aliquid faciendi, quod non facit.

*Respondeo 2.* Eum qui iuramento promisit se aliquid facturum, peccare mortaliter, si in re gravi non curet iuramentum implere, ut omnes communiter admittunt. *Major difficultas est*, num parvitas materiae excuset à peccato mortali, falsitatem iuramenti promissorii. *Qua in re certum existimo*, non esse peccatum mortale, partem aliquam exiguam materiae iuramenti promissorii non implere, ut si quis, postquam juravit se daturum triginta asses pauperi, non det illi nisi viginti novem: ille enim simpliciter servat iuramentum adeoque dici non potest, quod Deum falsi testem faciat.

*Sed quid si tota materia iuramenti negligatur?* Poteritne parvitas materiae excusare à peccato mortali? *Non pauci negant*, quia gravis deordinatio est quod quis Deum falsi testem constituat, hoc enim repugnat fini iuramenti, qui est, fidem facere interposito divino testimonio. Hoc autem facit quicumque non exequitur iuramentum promissorium, cum divinum testimonium assumpsit, ad confirmandam promissionem, quam exequi non vult. *Verum hæc ratio non convincit*, quia sincerè promittens, non mentitur, licet postea promissionem non impleat, sed infideliter agit, ut ait S. Thomas 2. 2. *quæst. 110. artic. 3. ad 5.* Quare etsi talis promissio iuramento confirmetur; non propterea adducitur Deus in testem mendacii: ac proinde ex eo capite non fit Deo gravis injuria, si promissio  
jurata

jurata de re gravi non impleatur. Aliunde verò injuria quæ Deo tunc irrogatur, in eo consistit, quòd contemnatur illius authoritas, quæ interposita fuerat veluti per modum fidejussionis, ut promissioni firmitatem conferret. Talis autem contemptus cum non sit formalis, ut supponimus, facillè potest in re levi, à peccato mortali excusari. Praesertim cum juramentum promissorium ex dicendis, minùs obliget quàm votum: cujus tamen violatio in re levi, non est peccatum mortale, ex communi sententia.

RESOLUTIO III. *Juramentum quod quis coactus facit, coram Deo obligat.* ] S. Thomas articulo citato in respons. ad 3. multa dicit huc spectantia. 1. Obligationem cessare respectu cogentis, quia qui vim intulit, meretur ut ei promissum non seruetur. 2. Obligationem non tolli in foro conscientiae, in ordine ad Deum, quia jurans magis debet damnum temporale sustinere, quàm juramentum violare. 3. Eum tamen repetere posse in judicio quod solvit, vel prelato denunciare, quamvis contrarium juraverit: quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum, eo quòd esset contra justitiam publicam. 4. Romanos Pontifices ab hujusmodi juramentis homines absolvere, non quasi decernentes ea non esse obligatoria, sed quasi hujusmodi obligationes ex justa causa relaxantes.

Ex qua doctrina resolvitur casus ille vulgaris, an qui ut mortem evaderet, promisit latroni centum nummos, teneatur solvere, si promissioni adhibuit juramentum. Respondetur enim spectata vi ipsius promissionis, non teneri, quia cum hæc extorta sit per injuriam jure ipso naturæ irrita censeretur. Teneri tamen virtute juramenti, quia gravis est obligatio, non assumendi nomen Dei in vanum, quæ non tollitur per injuriam illatam; cum ea non obstante juramentum honestè & sine peccato impleri possit, ut suppono. Quare promittens tenetur aut summam promissam

missam solvere, aut dispensationem à juramento impetrare.

*Monet autem S. Doctor, solventem posse repetere pecuniam in judicio, quod intellige, nisi juraverit se non repetiturum. Quod si hoc juravit, poterit nihilominus latronem accusare de crimine, etsi actione civilem pro restitutione pecuniæ, contra eum instituere non possit. Excipe, nisi etiam juramento promiserit, se eum non accusaturum: nam si tale juramentum intercessit, debet ex virtute Religionis, fidem datam servare, ob paritatem rationis. Poterit tamen crimen judici denuntiare, etsi juraverit se non denuntiaturum, si ejusmodi denuntiatio necessaria videtur, ad avertendum malum publicum, ut observat S. Thomas.*

Hinc etiam lucem accipit difficultas illa, an juramentum redeundi ad carcerem obliget, etiam cum probabili periculo mortis, sive justæ, sive injustæ. *Dicendum enim est, tale juramentum per se loquendo obligare, quia ex communi sententia, juramentum impleri debet, quâdo id fieri potest sine periculo animæ, id est, sine peccato: at non est peccatum, quòd quis in dicto casu ad carcerem redeat, quin potius quòd se exponat periculo mortis, ut juramentum servet, hoc est opus religionis, & eximia fortitudinis. Ista tamen intelligenda puto de eo, qui jurat reditum in carcerem, pravisso periculo quod ei ex tali reditu imminebit: si enim hac de re nihil cogitans, juret, verisimile est eum non habere intentionem jurandi pro tali casu, adeoque non obligari.*

RESOLUTIO IV. *Ex S. Thoma juramentum interdum obligat, quando non est eadem intentio jurantis, & ejus cui juratur.* ] NAM si hoc proveniat ex dolo jurantis, debet juramentum servari; secundum sanum intellectum ejus cui juramentum præstatum. Si autem jurans dolum non adhibeat, secundum ipsius intentionem juramentum adimpleri debet. Ita habetur in responsione ad 4.

S

Verum



*Verum* etsi posterior hæc pars communiter admit-  
tatur, prior tamen difficultatem continet, quia non  
est juramentum, vel obligatio inde orta, nisi adsit in-  
tentio jurandi: qui autem priori modo jurat, habet  
intentionem jurandi secundum propriam mentem,  
non secundum mentem alterius. Quare non videtur  
obligatus ex vi ipsius juramenti, ad exequendam  
promissionem juxta sensum ab eo intellectum: etsi  
ad hoc possit teneri ratione damni, aut scandali in-  
de orti.

*Quæres*, an major sit obligatio voti, quàm jura-  
menti. S. Doctor *artic. 8. respondet affirmativè*, quod  
*probat*, quia utraque obligatio causatur ex aliquo di-  
vino, prior quidem ex fidelitate quam Deo debe-  
mus, ut scilicet ei promissum solvamus; posterior ve-  
rò ex reverentia erga Deum, qua tenemur verificare  
id, quod per nomen ejus promittimus. Omnis autem  
infidelitas irreverentiam continet, sed non conver-  
titur: videtur enim infidelitas subjecti ad dominum  
esse maxima irreverentia: & ideo votum ex ratio-  
ne sua, magis est obligatorium, quàm juramen-  
tum.

*Nota 1.* Doctrinam istam procedere tantum de ju-  
ramento promissorio, nam si agatur de assertorio, di-  
cendum est, majorem esse per se loquendo, illius ob-  
ligationem, quàm voti; siquidem quando falsum ju-  
ramus, facimus Deum, quantum in nobis est, testem  
mendacii, adeoque eum privamus prærogativa pri-  
mæ veritatis: quando verò violamus votum, dene-  
gamus Deo quendam honorem quem ei debemus; at  
major est obligatio, non inferendi Deo damnum  
aliquod veluti positivum, quàm non negandi illi de-  
bitum honorem; sicut major est obligatio, non infe-  
rendi Regi injuriam positivam, quàm non implendi  
promissionem ei factam.

*Nota 2.* Prædictam Resolutionem S. Thomæ in-  
tellectam ut diximus, de juramento promissorio,  
non enervari ex eo quod votum interdum confir-  
metur

metur juramento, hoc enim non fit, quasi verò juramentum ex se, sit firmitus voto, sed ut per duas res immobiles, major firmitas habeatur, ut traditur in responsione ad 2.

RESOLUTIO V. *Aliqua ex causa rationabili dispensatio fieri potest in juramento.* ] QUIA ut docetur articulo 9. quod in se vel universaliter consideratum est utile, & honestum, secundum aliquem eventum particularem potest esse inhonestum, & nocivum, quod autem tale est, repugnat his quæ debent attendi in juramento: nam si sit inhonestum, repugnat justitiæ, si sit nocivum, repugnat iudicio. Et ideo in juramento dispensari potest, sicut in lege, & in voto.

*Nota ex responsione ad 1. dispensationem quæ fit in juramento, non se extendere ad hoc, ut aliquid contra juramentum fiat: hoc enim est impossibile, cum observatio juramenti cadat sub præcepto divino, quod est indispensabile: sed ad hoc, ut quod cadebat sub juramento, sub eo non cadat, quasi non existens debita materia illius, sicut de voto supra dictum est.*

*Quæres, quinam possint dispensare in juramento.* S. Thomas ad hoc varia dicit in responsionibus ad 2. & 3. Nam priori loco ait 1. Quando homo promittit alteri aliquid sub juramento, spectans ad utilitatem illius, ut si promittat se pecuniam ei daturum, posse à tali promissione absolvere eum, cui promissio facta est. 2. Non tamen posse, si ei promittat aliquid pertinens ad honorem Dei, ut se Religionem intraturum, vel ad utilitatem aliorum, ut se eleemosynam alicui daturum: quia promissio non est ei facta principaliter, sed Deo.

Posteriori verò loco docet 1. Quando quod cadit sub juramento promissorio, est manifestè repugnans justitiæ; vel quia est peccatum, sicut cum aliquis jurat se facturum homicidium; vel quia est majoris boni impeditivum, sicut cum aliquis jurat se nō

intratum Religionem, tale juramentum dispensatione non indigere; sed in primo casu rescindendum esse, in secundo verò servari, & non servari posse, quamvis melius sit illud non servare, ut dixerat *art. 7. ad 2.*

*Docet 2.* Quando aliquid sub juramento promittitur, de quo dubium est, utrum sit licitum, vel illicitum; proficuum, vel nocivum, aut simpliciter, aut in aliquo casu, in hoc posse quemlibet Episcopum dispensare. Quòd intellige de quolibet Episcopo, respectu suorum subditorum.

*Docet 3.* Quando sub juramento promittitur aliquid, quod est manifestè licitum & utile, tunc nisi aliquid melius occurrat, ad communem utilitatem faciendum, non habere locum dispensationem, vel commutationem: hocque maximè videri pertinere ad potestatem Papæ, qui habet curam universalis Ecclesiæ. Verum hæc verba difficultatem continent, cum ex communi sententia, non modo Episcopus, sed etiam ipsemet jurans possit propria autoritate, juramentum commutare in aliquid evidenter melius, modo talis commutatio non cedat in præjudicium illius, cui facta est promissio. Quare dicendum est aut S. Doctorem loqui de juramentis Papæ reservatis, aut tantum velle, ex quadam congruitate & decentia, commutationem juramentorum in melius, à summo Pontifice petendam esse. Quòd si inquiras, quænam juramenta Pontifici sint reservata. Respondet ea quæ versantur circa materiam quinque votorum, quæ superius ipsi reservata esse diximus.

*Docet 4.* Possesse unumquemque irritare juramentum, quod à sibi subditis factum est, circa ea quæ ejus potestati subduntur; sicut pater potest irritare juramentum puellæ, & vir uxoris, ut ex supradictis de voto intelligi potest, est enim quoad hoc par ratio.

His duo addenda sunt. 1. Ex quorundam sententia, qui ex privilegio potest dispensare in juramentis, aut

aut votis juratis; quia privilegia tantum valent, quantum sonant, neque ad diversum genus extendi debent. Aliis tamen oppositum videri probabilius, quia ut supra diximus, votum magis obligat, quam juramentum, & privilegia salutis animarum favorabilia sunt extendenda. 2. Eum qui potest relaxare juramenta, posse a fortiori ea commutare, non est contra: quia et si cui conceditur majus, concedi solet minus saltem in eodem genere, non tamen vice versa.

RESOLUTIO VI. *Non omnes personæ ad jurandum sunt admittende.* ] HOC probatur art. 10. quia in juramento duo sunt considerata, unum ex parte Dei, cujus testimonium inducitur; & quantum ad hoc, debetur juramento maxima reverentia. Unde à juramento excluduntur pueri, ante annos pubertatis, quia non habent sufficientem usum rationis, ut possint cum reverentia debita juramentum præstare. Et perjuri, quia præsumi ut eos juramento reverentiam debitam non exhibituros. Aliud considerandum est ex parte hominis, cujus dictum juramento confirmatur, non enim indiget dictum hominis confirmatione, nisi quia de eo dubitatur: hoc autem derogat dignitati personæ, ut dubitetur de veritate eorum quæ dicit: & ideo Sacerdotes non debent jurare, nisi ex gravi causa. Verum ad pleniorum horum intelligentiam

*Nota 1.* Illud esse discrimen inter causas criminales, & civiles, quod pueri non solent admitti ad testificandum in prioribus ante vigesimum annum: ut autem in posterioribus testentur, sufficit ætas quatuordecim annorum. Quod tamen intellige de testimonio sufficienti ad plenam fidem faciendam; si quidem possunt examinari pueri ante pubertatem, eorumque testimonium facit præsumptionem, etiam sufficientem ad torturam, ut quidam advertunt.

*Nota 2.* Quod dicitur de perjuriis, intelligi maxime de iis, qui perjurii in judicio convicti sunt;

tales enim ad juramentum admitti non debent, imò probabile est, id debere extendi etiam ad eos, qui etsi convicti non sint in iudicio, eorum perjurium notum est notorierate facti. Ita quidem ut licet ipsi non teneantur, propter perjurium antea commissum, ultro à novo juramento abstinere, dummodo habeant animum verè jurandi, meritò tamen ob crimen illud, per sententiam iudicis, à testimonio ferendo tanquam infames repelli possint. Hoc porro intellige de juramento, quod ipsi juranti utile est, nã si agatur de juramento oneroso, quale est juramentum fidelitatis, ratione feudi, non debet perjurus ab eo repelli, ne commodum ex suo crimine reportet.

*Nota 1.* Quando adest gravis necessitas, vel utilitas, posse clericos jurare in manu laici, sine licentia Prælati, nisi 1. In actu testificandi 2. In juramento quod coguntur præstare Judici laico, tanquam superiori; & 3. In juramento quod vocatur calumniæ, quod habet locum quando litigans jurat se bona fide, non autem calumniandi animo litem movere. In his enim casibus, ut clerici jurent coram laico, requiritur licentia superioris.

**RESOLUTIO VII.** *Assumptio divini nominis per modum adjurationis, est etiam actus Religionis, adeoque licitus modo cum debitis circumstantiis fiat.* ] DE hoc agit S. Doctor 2.2. *quest. 90.* per tres articulos, quorum 1. Docet, adjurationem esse illicitam, quando aliquis per invocationem divini nominis, cujuscunque rei sacre, alicui non subdito, necessitatem agendi adjurando imponere intendit, quia usurpat potestatem in alium, quam non habet: Superiores tamen ex causa necessaria, posse suos inferiores hoc modo constringere. Esse verò licitam, quando quis intendit solummodo, per reverentiam divini nominis, vel alicujus rei sacre, aliquid ab alio obtinere, absque necessitatis impositione.

*Nota ex responsione ad 3.* Nos aliter homines, aliter

aliter Deum adurare, nam adjurando hominem  
ejus voluntatem, per reverentiam rei sacræ immu-  
tare intendimus; quod quidem non intendimus  
circa Deum, cujus voluntas est immutabilis: sed ut  
ex ejus bonitate, æternæ voluntatis effectum obti-  
neamus.

*Articulo 2. docet 1.* Non licere nobis adjurare dæ-  
mones, per modum deprecationis: quia hoc vide-  
tur spectare ad quandam benevolentiam, qua non  
licet erga dæmones uti. *Docet 2.* Licitum esse, dæ-  
mones adjurare per modum compulsionis, eos per  
virtutem divini nominis expellendo, ne nobis spiri-  
tualiter, vel corporaliter noceant. *Docet 3.* Non li-  
cere eos adjurare, ad aliquid ab eis addiscendum,  
vel etiam ad aliquid per eos obtinendum: quia hoc  
pertinet ad aliquam societatem cum ipsis habendam:  
nisi forte ex speciali instinctu, vel revelatione  
divina, quidam sancti ad aliquos effectus, dæmo-  
num operatione utantur: sicut legitur de beato Ja-  
cobo, quod per dæmones fecit Hermogenem ad se  
adduci.

*Articulo 3. docet,* adjurationem qua quis utitur ad  
creaturam irrationalem, posse intelligi dupliciter:  
uno modo, ut adjuratio referatur ad ipsam irratio-  
nalem creaturam secundum se, & sic vanum esse, ir-  
rationalem creaturam adjurare: alio modo, ut refer-  
tur ad eum, à quo irrationalis creatura agitur & mo-  
vetur; & sic dupliciter adjurari creaturam irrationa-  
lem. 1. Per modum deprecationis ad Deum directæ,  
quod pertinet ad eos qui divina invocatione mira-  
cula faciunt. 2. Per modum compulsionis, quæ re-  
fertur ad diabolum, qui in nocumentum nostrum  
utitur irrationalibus creaturis. Et hunc esse modum  
adjurandi in Ecclesiæ Exorcismis, per quos dæ-  
monum potestas excluditur ab irrationabilibus crea-  
turis.

Circa doctrinam horum articulorum, *Nota 1.*  
Adjurationem aliud nihil esse quam actionem, per

quam aliqua persona inducitur obsecrando, vel impetrando, ad aliquid faciendum, vel omittendum invocatione alicujus rei sacræ. Ex quo patet 1. Non nisi creaturam rationalem posse adjurare, adjurari verò tantum posse personam intellectualem, quales sunt Deus, Angeli sive boni, sive mali, & homines tam beati, quàm viatores. 2. Adjurationem quæ vel expressè, vel tacitè fit per Deum esse actum religionis, quia honor Deo exhibetur, eò ipso quòd illius autoritas interponitur, ut multum valens apud homines. Quæ verò fit per sanctos, in eorum dignitate & meritis sistendo, esse actum dulia. 3. Actum illum esse specialem, & distingui à juramento: quia in hoc Deus adducitur ut testis veritatis, aut veluti fidejussor promissionis nostræ: in adjuratione verò ut movens ad concedendum, quod nomine illius petitur. Distingui etiam ab oratione, quia per orationem petimus aliquid à Deo, per adjurationem verò ut sic, petimus aliquid propter Deum. Unde oratio cum adjuratione conjungitur, quando aliquid petimus à Deo, & propter Deum. 4. Duplicem esse adjurationem, aliam deprecativam, aliam imperativam, prioremque esse licitam erga Deum, Angelos, & homines: posteriorem autem contra demones, qui per potestatem à Christo Ecclesiæ concessam, Exorcismis expelli solent.

*Nota 2.* In adjuratione, sicut & in juramento requiri cum proportione veritatem, justitiam, & judicium. Veritas in ea reperitur, quando adjuratio fit per verum Deum, cum animo obtinendi quod petitur, & ex vera occasione petendi: at justitia habet locum, quando petitur aliquid licitum & honestum. Judicium autem in eo consistit, ut nihil petatur leviter & sine causa, sed ob gravem necessitatem, & cum reverentia debita, Unde collige pro praxi, eum qui aliquem nomine Dei adjurat, ut rem mortaliter illicitam faciat, duplex mortale peccatum in confessione declarandum, committere; aliud ad peccatum

catum inducendo, aliud nomen Dei ad hoc interponendo.

*Nota 3.* Quædam observanda esse circa adjurationem dæmonum, qui hominum corpora obsident: 1. Ut adjuratio publica & solemnitas non assumatur nisi ab iis, qui ad ordinem Exorcistarum promoti sunt: quamvis privatim possit quilibet adjurare dæmonem, ut in nomine Domini recedat. 2. Ut Exorcistæ liceat dæmonem interrogare, non quidem deprecativè, sed coactivè, tum quæ ad expulsionem conducunt, ut nomen, causam ingressus, numerum obsidentium, &c. tum quod prudenter judicat, ad gloriam Dei, & adstantium utilitatem spectare. Quare vana & inutilia ex curiositate interrogantes, peccant venialiter, & si id fiat deprecativè, aut longos sermones cum dæmone miscendo, mortaliter. 3. Ut etiam licitum sit, dæmonem in infernum, aut in desertum, ne amplius hominibus noceat, amandare saltem sub spe ratificationis divinæ, & ab eo petere signum, quo testetur se è corpore exire; nam etsi dæmon sit pater mendacii, virtute Exorcismorum adigi potest, ut verum dicat. 4. Ut liceat quoque dæmoniacum a lapis, flagellis, fumigationibus, &c. moderatè vexare, non ita ut hæc putentur habere vim aliquam naturalem ad abigendos dæmones, sed ex dæmonis contemptu, ut sic confundatur, & domicilium in quo se sperni videt, quam primum deserat. Possunt tamen medicina quædam applicari, ad expellendos è corpore pravos humores, quibus dæmon utitur ad vexandum hominem, cum vel pulsu cytharæ, Saut a dæmone possessus non parum recreatus fuerit. 5. Non esse licitum præcipere dæmoni, sub pœna excommunicationis, nisi ut hæc sumitur pro execratione, & maledictione; quomodo accipitur Sacerdotali Romano, quando monetur Exorcista, ut dicto modo præcipiat.